DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

VARIOLARUM INSITIONE,

QUAM,

FAVENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate MAGNIFICI RECTORIS,

NICOLAI HOOGVLIET,

S. S. THEOLOG. DOCT. EJUSDEMQUE FACULTATIS IN ACADEMIA LUGDUNO BATAVA PROFESSORIS ORDINARII, VERBI DIVINI IN EADEM URBE MINISTRI,

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI *Consensu,* & *Nobilissimæ* FACULTATIS MEDICÆ *Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in MEDICINA Honoribus ac Privilegiis, rite ac legitime consequendis,

Eruditorum Examini subjicit

GULIELMUS CLELAND,

SCOTO-BRITANNUS.

Ad diem X. *Maji, hora undecima* L. S.

Longe mihi potior cura est veritatis, quam novitatis.

MORGAGN.

LUGDUNI BATAVORUM,

Apud JACOBUM MURRAY, 1776.

18


WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

PATRI OPTIMO,

JURE VENERANDO,

JACOBO CLELAND,

SCOTIÆ ARMIGERO.

ALEXANDRO LON,

MERCATORI SAGACISSIMO APUD ROTTERODAMENSES, SORORIS MARITO, AMICO SUO.

NEC NON

GULIELMO CULLEN, M. D.

PRÆS. ET ELECT. MED. REG. PRIMAR. ET IN ACAD. EDINB. MEDICIN. PROF., VIRO OMNI LAUDE MAJORI.

Hasce ſtudiorum primitias ſacras eſſe voluit,

AUCTOR.



DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

VARIOLARUM INSITIONE.

§. I.



Variolæ morbum ſiſtunt, vim cujus peſtiferam vix aliquis mortalium evadit. Nec homines ſolum infeſtat; ſed ſtragem horrendam inter eos excitat, perque multos annos in omnibus Europæ regionibus, ſicut peſtis, prævalere perrexit.

§. II. Sub initio feculi feptimi, Variolæ primum in Egypto interioribusque Arabiæ locis ortæ funt. Progredientes inde, una cum armis Saracenorum, Hifpaniam totamque Europam peragrasfe, ferunt.

§. III. Conftat fere inter omnes Auctores, hancce pestem Græcos Medicos atque Latinos omnino latuisfe: idque magis verifimile, quod de ea, apud Scriptores antiquos, ex toto filetur.

§. IV. Si vero novus fit morbus, de ejus origine quæratur: fed tali quæstioni refpondere, hic loci præfertim, meum non est, neque rem curiofam magis, quam utilem, perfcrutari necesfe erit.

§. V. Quoniam pro certo habemus, morbos fere omnes contagiofos ex caufa quadam infalubri, aëris temperiei indita, fe in aliqua re-

regione manifestante, oriri; vix dubitari potest, quin Variolæ aliique morbi, quorum caussæ adhuc sunt incognitæ, suam originem quoque a veneno aliquo endemico trahant.

§. VI. Pestis ex Oriente vel Egypto semper ad nos allata. Febres putridæ remittentes ex humiditate soli, miasmate, humanisque effluviis; Anginæ putridæ interdum ex aëre in sedinis impuro stagnante, unde epidemice ruunt; Febres Malignæ ex cadaveris putridi gangrænosi dissectione; & Dysenteria ex statu aëris immutato originem suam ducunt.

§. VII. Fatendum vero, quod Morbilli, Variolæ, Lues venerea, Catarrhus contagiosus, ac Tussis convulsiva ex nulla certa tali causa deduci possunt. Sed, quoniam in multis morbis contagiosis causa jamjam satis est explorata, de ceterorum caussis haud incertum foret,

ret, si naturam ipsam accuratius observaremus, quam semper eo simpliciorem invenimus, quo magis nobis innotescit.

§. VII. De hac autem re & hodie est, fuitque semper, disputatio multa, neque nostrum est litem componere. Omnibus hisce igitur omissis, dicere tamen liceat, nos omnes oportere, ut morbum tam atrocem, effectusque tam horrendos per totum terrarum orbem diffundentem, quam maxime possimus, lenem ac mitem reddere tentemus.

§. IX. Providentia divina facultatem hancce nobis concessit, arte Variolas inducendi per Insitionem excogitata; cujus progressui si nulla obstarent præjudicia, vix aliquid dubii remanet, quin genus humanum, adversus vim tam diræ pestis, magna ex parte, tutum reddi posset.

§. X. Neque hæc temere asserimus: nam-

que

que eorum, qui Variolis nativis afflicti sunt, septimus vel octavus moritur; sed ex his, quibus variolosum venenum insitione communicatur, vix unus inter quingentos morte abreptus est. Asseritur etiam a quibusdam, se decem millibus, qui omnes convaluerunt, materiam variolosam inseruisse.

§. XI. Quod vero, hanc artem humano generi esse salutiferam, quam maxime ostendit, est, quod gentes ab illa olim aversissimæ, hodie inveterata sua præjudicia abnuere videntur.

§. XII. Quum autem de arte, Variolas per Insitionem movendi, dicere constituimus, illam quam paucissimis verbis absolvemus materiem, quam, ut magis perspicue exsequamur, in tres partes dividendam censuimus. Primum de Historia Insitionis & ejus progressu per Europam disseramus.

HISTORIA.

§. XIII. Praxis hæcce salutifera, Variolas per Insitionem excitandi, jamjam apud Europæ incolas, per centum circiter annos, invaluit. Arma vero huic, ut omnibus aliis inventis novis atque philosophicis fere accidit, vel timor vel dementia movit. Sed in honorem Magnæ Britanniæ fatendum est, incolas illius Insulæ felicissimæ ac celeberrimæ minus, quam gentes vicinæ, arti huic utilissimæ obstetisse; in istis tamen interim regionibus, pigro tantum gressu progreditur, neque spes ulla viris bonis ac patriam amantibus est, umquam fore universalem, nisi præjudicia, ex Religione ipsa derivata, & Verbi Divini Interpretibus solum compescenda, removeantur.

§. XIV. Aut fuga temporum, aut incuria, vel etiam invidia, inventoris hujus artis, Variolas

las Insitione excitandi, nomen atque famam nobis eripuit. Neque enim ab Asiaticis ipsis, apud quos in usum primum ducta est, aliquid de ætate, de loco, vel regione, ubi primum inventa fuit, audivimus; unde nata suspicio, Casum fortuitum, non Consilium, artem hanc, in humani generis salutem, invenisse.

§. XV. Proditum autem memoriæ est, artem, movendi Variolas ex consulto, e Circassia vel Georgia esse allatam. Regiones istæ non minus pulchritudine mulierum, quam turpi eas vendendi consuetudine, inprimis celebres sunt. Cumque res ita sese habeat; verisimillimum est, Insitionem, causa pulchritudinis fæminarum tuendæ, ibi fuisse excogitatam. Probabilius hoc est, quod forsan observaverint regionum harum incolæ, raro huncce morbum secunda vice invadere, illisque, qui eum admodum ju-

ve-

venes patiuntur, minus esse periculosum, tam quoad pulchritudinem quam quoad vitam.

§. XVI. Sed PYLARINUS affirmat, hanc artem ex Thessalia in Byzantium, Smyrnam, & ad regiones hisce finitimas translatam; Armeniis aliisque eorundem locorum Christianis nationibus cognitam; sed, longum per tempus, apud plebem tantum fuisse excultam. Tractu vero temporis famam majorem sibi istis in regionibus adepta est, &, seculo nostro ineunte, passim omnibus, tam plebeiis, quam nobilibus, in consuetudine esse cæpit.

§. XVII. Docti quidam forsitan & rerum novarum avidissimi Viri, ex PYLARINI, TIMONIIque epistolarum lectura, quæ in Actis Societatis Regiæ Londinensis referuntur, in artem hanc novam, Variolas per Insitionem excitandi, animos suos verterunt. Hoc autem perinde

inde est; interim pro certo habemus, nullos Medicos, aut Chirurgos, ante seculi hujus initium, apud Europæ incolas, hanc artem experiri ausos fuisse.

§. XVIII. Tandem vero Maria Wortley Montague, docta atque ingeniosa Matrona, Byzantii degens cum Consule Britannico, marito suo, hanc praxin accuratius perscrutata, impavida operationi filiolum suum subjecit. Regressa inde in Britanniam, periculum in filia sua faciendo, secum hanc artem adduxit. Morbus hanc minus quam fratrem affecit, quippe quæ per totum ejus decursum more infantum hilariter lusit. Ex eo tempore praxis illa salutifera in Europa indies prævalere & exerceri cœpit. Parvos tamen tantum fecit progressus, nec adhucdum universalis utilitatis reddi potuit salutaris hæcce encheiresis; quamvis etiam Mulier

illa celeberrima, ut eam promoveret, quasdam elegantisſimas literas ſcripſerit; donec Georgius Tertius, Britanniæ Rex, apud poſteros ſacer, bono publico conſulens, experimentum in ſex capite damnatis fieri jusſit. Eventus votis omnium favit; eodemque ſub tempore periculum in quinque egenis pueris, eodem cum ſuccesſu, fuit factum. Tandem pauci ex Nobilibus hoc exemplum feliciter ſecuti ſunt; ac tandem in Regia Prole, eodem cum eventu, cuique patriam amanti gratisſimo, eſt tentatum.

§. XIX. Cum vero animos mortalium, rerum novarum avidisſimos, ut plerumque fit, hujus novitatis ſatietas ceperat, praxis iterum relangueſcere cœpit, plane fuit neglecta, ac in deſuetudinem fere abiit. Medici enim, ut materiam varioloſam insererent, fere numquam accerſiti, quam-

quam

quam eventus Insitionis, undique felicissimus, ejus utilitatem luce clarius demonstrasset.

§. XX. In Britannia non solum hæc ars minus fuit exculta; apud cæteras etiam Europæ Nationes penitus rejecta. Nec multum abfuit, quin tota fuerit oblita. Germani interim nec petierunt, nec aversati sunt. Batavi eam verbis magis, quam factis, probare videbantur. Galli vero, omnes ante alios, quam maxime despectam habuerunt. Gens illa, propiorum factorum gloria tumens, nec alios curans, infra dignitatem suam fore ducebat, si magistrorum, tam rudium, &c, se judice, tam imperitorum, vestigia premerent.

§. XXI. In America vero Septentrionali cæteraque India Occidentali Insitio majorem famam magnumque nomen acquisivit. Illarum regionum incolæ, ut pestem, servis suis tam

lethalem, arcerent, &, quo melius posset, opes suas conservarent, sponte sua novam hanc artem in illis experti sunt, & ex ea multum utilitatis perceperunt. Quod vero ars hæc salutifera, in commodum humani generis, longius latiusque proserperet, fuit res quidem insperata.

§. XXII. SUTTONIUS, vir omni doctrina omnique liberalis scientiæ auxilio destitutus, ante quindecim aut sedecim abhinc annos, modum variolas inserendi ex toto propemodum immutavit. Ille, in hac re saltem sagax, simpliciorem operationis methodum, qua utebantur Græci, reduxit. Incisiones & emplastra rejecit; suisque ægris calorem & lectum interdixit; ac, ut aëra purum frigidumque respirarent, fructibusque maturis potionibusque frigidis uterentur, permisit. Praxis hæc omnium votis, mirum in modum, respondit, suo successu

cessu obstacula removit, ac magis magisque in usum venire cœpit.

§. XXIII. Cum itaque ars jamjam invaluisset, viresque eundo aquisivisset, accidit, quod Catharina, Illustrissima omnium Russiarum Imperatrix, bonarum artium fautrix esse cupiens, DIMSDALIO, peritissimo hujus artis cultore, ex Britannia accersito, intrepida in se ipsa Insitionis periculum facere quidem voluit. Hoc modo, nobile exemplum suis præbuit, quo studium Variolas inserendi in alia loca, longe etiam diversa, celerrime transire incepit.

§. XXIV. Tandem Ludovicus Decimus sextus, Gallorum Rex, Avi sui fato expergefactus, & exemplum Catharinæ æmulatus, se suosque viro varioloso artificiali operatione infici permisit. Exinde spes magna oritur omnibus, quibus generis humani salus curæ est, hanc artem etiam apud Gallos fore excultam.

§. XXV.

§. XXV. Hactenus de Insitionis Historia ac Progressu; nunc de diversis Variolas inserendi Methodis disserendum.

DE VARIIS VARIOLAS INSERENDI METHODIS.

§. XXVI. Experientia, variolas variis modis, eodem fere cum successu, inseri posse, docet. Apud Byzantinos, a quibus ars ad nos fuit allata, Mulieres morbum hunc communicare, pungendo cutem acu, & in puncturam aliquid puris, pustulis maturis extracti, inserendo, narrantur.

§. XXVII. Pylarinus affirmat, se Græcam vidisse artificem, quæ fronti, mento, maxillis, metacarpo, & metatarso obliquas puncturas infligebat, ac in singulas pauxillum puris, adolescentulo variolis nativis laboranti detracti, ac in sinu servæ calefacti, infundebat.

§. XXVIII.

§. XXVIII. Timonius etiam memoriæ prodidit, operatores cum ſanguine, ex variis vulnusculis acu factis, materiam venenoſam miscere, & postea emplastris fasciisque vulnera ſecundum artem obligare, nucum putaminibus, concava parte vulneri reſpondentibus, illa tegere, ac ægrotis, ne unguibus partes vulneratas lacerent, aut humiditati exponant, mandare.

§. XXIX. Hæc Pylarinus & Timonius de viis variolas movendi diverſis, apud Græcos ſolummodo, memorant. Ille vero, ut partes carnoſiores pungantur, quo minus doloris minusque periculi inflammationis timendum ſit; Hic, ut Brachiorum musculi pungantur, ſedulo, & quaſi ex ſua opinione, monent. Conveniunt vero uterque in eo, quod magna circa ægrotantis alimentum cura haberi debeat; atque, e more Græcorum, ut, quibus

Va-

Variolæ induci debent, hi ab omni vino, & carne, aut jusculis e carne factis, per aliquot dies abstineant, tam post quam ante operationem, diligenter atque uno ore suadent: addunt præterea insitionem nocivam fore iis, qui hanc rationem non sequuntur, quippe quibus novæ pustulæ aliaque periculosissima symptomata supervenirent. Accuratio tanta, in narratione tam momentosæ circumstantiæ, laudibus concelebrari meretur, nec etiam illa narratio a vero longe aberrat, quod ex observationibus celeberrimorum hujus artis in universa Europa Cultorum probari posset.

§. XXX. Dicunt, rationem Variolas movendi, qua utuntur Chinenses, & quæ jam a longo tempore in usu fuit, ab Insitione, qualis nostris in regionibus excolitur, omnino esse dissimilem. Illi enim, ut Variolas communicent,

tu-

turundam ex gosſypio, pure Varioloſo imbutam, cum Moſcho in nares indere conſueverunt. Dr. MEADIUS, ut periculum hujusce Methodi in puella, una ex ſex illis capite damnatis, quibus, ut antea memoravi, variolæ fuerunt inſitæ, faceret, impetravit. Hæc puella, cæteris junior, & tantummodo circum circa octodecim annos nata, cum aliis ægrotavit, ac, æque ac hi, ad valetudinem rediit, ſed vehementioribus ſymptomatibus morbum ſtipatum invenit. Ab inſerta etenim turunda, ad pustularum eruptionem usque, eam afflixerunt gravis capitis dolor & febris continua. Fortasſe minime mirandum videri debet, rem ita ſeſe habuisſe, ſi conſideremus, venenum varioloſum quam proxime cerebro, unde oritur omnis motus ſenſusque, admotum fuisſe.

§. XXXI. Memoratur, apud Cambro-Bri-

tannos Variolas arte excitandi consuetudinem, inter plebeios solos tantummodo tamen, usitatam, ab antiquis jam usque temporibus exstitisse, quæ saltem a septuaginta tres abhinc annis repeti posset; potius autem hæc artificialis infectio variolarum Infrictio quam Insitio dicenda est. Illi enim pustulas quasdam aridas sibi comparant, quibus, in brachia aut crura contritis, infectionem quotidie, optimo cum successu, communicari, affirmant.

§. XXXII. Caledonii ex Scotiæ montibus fere eadem utuntur ratione: namque filum hi, viro varioloso tinctum, circa patientis cervicem atque carpum ligant, eoque dictas partes atterunt, unde morbus cum multis communicatur.

§. XXXIII. Operatio, apud Tripolitanos aliosque Africæ incolas, hoc modo institui solebat. Cui nempe variolæ inducendæ, is in

cu-

cubiculum morbo laborantis adducitur, eique, tribus vel quatuor pustulis, puris maturi plenis, e cæteris selectis atque apertis, cutis, quæ est inter indicem digitum & pollicem, pure Varioloso inungitur. Alii vero, morbum ab illis impertiri, cutem inter digitos perforando acu, filum pure tinctum post se trahente, dicunt. Suspicati sunt nonnulli Medici, partem aliquam fili in facto vulnere relinqui: at hisce temporibus satis compertum est, trajectionem fili solam, ad variolas movendas, sufficere. Nostrum interim est, hic loci annotare, Africanos, multorum respectu, ægrotos suos pessime & absque omni judicio tractare. Eos enim non solum calenti cubiculo inclusos, stragulisque oppressos tenent, sed & carnium juscula, e carne etiam caprina parata, sumere jubent.

§. XXXIV. Methodus Variolas movendi,

ab hac non longe diverſa apud Bengalæ incolas in uſu est. Hi enim easdem fere partes duabus aciculis conjunctis leniter pungunt, læſasque materia varioloſa inungunt. Interdum etiam, morbum ut infantibus communicent, pus cum ſaccharo ſyrupove miscent, atque his lingendum præbent. Modus, morbum inunctione inducendi, ſi æque certa foret, omnibus aliis, me judice, longe præcelleret. Methodus autem, materiam varioloſam deglutiendi omnino mihi displicet; crederem enim, hanc omnino aptam ad nauſeam, vomitumque excitandum, unde ſucceſsſus valde incertus neceſſario redditur.

§. XXXV. Helvetii & Galli frequenter hac methodo, utuntur: emplastrum epiſpaſticum vel veſicatorium brachio applicant, factam veſiculam incidunt, ac, detracta cuti-

cula

cula, materia variolosa plagam inungunt.

§. XXXVI. Apud omnes fere alios Europæ populos, qui Insitionem concelebrant, maturam pustulam tantum chirurgica lanceola aperiunt, quacum humore varioloso tincta, cui morbus inducendus est, brachium ejus incidunt, ac vulnus, nulla adhibita ligatura, solummodo tegunt. Alii vero filum, veneno varioloso madidum, vulneri, in medio, inter humerum & cubitum, brachio inciso, applicant, ac vulnus, per octo aut decem dies, emplastro quodam obligatum tenent. Denique alii vulnus longum & profundum brachio vel cruri infligunt, quæ methodus Theoreticæ Hypothesi nititur; quod nempe humor, ex largo vulnere necessario fluens, eruptionem Variolarum leniorem redderet. Sed fictioni huic vix aliquid fidei est habendum; namque incisiones

hujuscemodi, fere insanabiles, semper in ulcera fæda ac molesta mutantur. Hæcce de diversis Variolas inserendi Methodis sufficiant: tandem igitur, ut quædam de Methodo, hodie usitatissima, disseramus, progredimur.

DE METHODO VARIOLAS INSERENDI USITATISSIMA.

§. XXXVII. Postquam praxis, Variolas concitandi per Insitionem, in Britanniam migravit, magnopere corrupta & mutata est; quæ enim sua natura simplex neque difficilis fuit, temeritate vel ignorantia eam exercentium, & difficilis & horrenda est reddita. Multi quidem, in illis regionibus, Viri, laudatæ omnino famæ homines, vitæ & solatio mortalium consulentes, eam, quam maxime potuerint, leviorem, certiorem, ac tutiorem reddere conati sunt. Regimen inflammationi adversum instituerunt, &

me-

medicamenta, ex Mercurio & Antimonio composita, ac purgantia fortiora adhibuerunt.

§. XXXVIII. SUTTONIUS, ſuum omnino ducem SYDENHAMIUM ſequendo, quoad omnia, quæ ad regimen attinent, & morem Variolas inſerendi, apud Græcos uſitatum, reducendo, ſystema ſibi proprium ſtatuit, aliquo quidem reſpectu nonnihil empyricum, ſed vere abſolutum: vera enim fateri oportet; & tunc negari non poterit, eum plus ad artem perficiendam & propagandam, quam omnes alios Inſitores, contulisſe.

§. XXXIX. Si morbus ſit ſporadicus, occaſio providendi multa ſubminiſtratur, quibus non tam facile proſpicere posſumus, ſi ſit epidemicus. Primo enim, ubi Variolæ non univerſe grasſantur, in noſtra eſt poteſtate, delectum ætatis, habitus corporis, & anni tempeſta-

pestatis habere; &, omnia hæc nisi votis respondering, operationem differre conceditur.

§. XL. Præ cæteris anni tempestatibus, ver certe magnopere Insitioni convenit; quippe quod infantibus atque adolescentibus vigorem novum adducit. Eo etiam tempore, frigore hyemali humido jamjam præterito, & ardore Syrii pestiferi nondum desæviente, cutis perspiratio, per frigus diu refrænata, libera rursum reddita est, neque etiam per insolitum æstum biliosi humores in corpore aucti, neque corporis fluida in putrefactionem prona sunt. Accedit porro, quod hac anni tempestate solidæ partes minus, quam hyemali, compactæ sunt, eoque circulatio per capillaria vasa liberius peragitur. Hæc omnia si spectemus, videtur certe Ver, si tranquillum fuerit, magis Variolarum Insitioni convenire, & C. H. universum syste-

tema isto tempore melius ad eam compositum esse.

§. XLI. Hoc tempore ipse naturæ adspectus salutem affert, ac pabulum nervosum augmentat, eodem modo, quo jucundi labores, & quodcunque animum delectat. Poëtæ omnesque omnium regionum Philosophi Ver, ut vitæ renovamen ac delectamentum, summis laudibus concelebrant. Ver & præcipue Mensis Aprilis, in nostris præsertim regionibus, cæteris itaque aliis anni temporibus, cæteris mensibus anteponatur, si, quo Variolæ inserantur, tempore nulli morbi maligni epidemici grassentur.

§. XLII. Utrumque Aequinoctium Insitioni inimicum est: Diarrhœæ, Dysenteriæ, Anginæ, hisce temporibus frequenter invadunt. His præterea quoque temporibus febres inter-

mittentes frequentes esse solent, quæ, ut observationes docent, quo minus contagium variolosum in corpus agat, efficere valent. Corpora enim, febribus intermittentibus obnoxia, vim omnem variolosi veneni eludere dicuntur. Hoc experientia constare videtur; & exempla memorantur, unde apparet, contagionem nullam secutam fuisse, nisi Peruviano Cortice copiose prius exhibito, febris intermittens penitus esset remota.

§. XLIII. Ætas, quæ optimum Insitionis promittit successum, ea omnino esse videtur, quæ inter tertium & quintum circiter annum incidit. Multi quidem contendunt, etiam in teneriori ætate, tutius, facilius, & majore cum successu, variolas communicari: sed experientia, theoreticis hisce speculationibus superior, præmaturam hanc inoculandi methodum plane

rejicit. Videmus quippe, pueros, qui Insitionis tempore occumbunt, Convulsionibus plerumque vitam terminare: quo autem juniores, eo & irritabilius nervosum systema deprehenditur; dentesque etiam eo tempore prorumpere solent. Lactanti quoque puello incongruum foret pus variolosum inserere; tunc enim temporis Angina sæpius nariumque oppletione vexato suctio molesta admodum redderetur. Præterea, materni pectoris calor, huic enim continuo admovetur infans, confluxum majorem pustularum ad faciem causatur, majusque inde periculum infantis vitæ imminet, quippe quod, cæteris paribus, semper majus, quo major se pustularum copia in facie manifestat. Addi etiam hisce oportet, infantes minus perspirare, quam pueri, qui in continua versantur exercitatione & motu, quibus, ut notum est, perspiratio

promovetur; torpens enim circulatio, minime excercitio adjuta, in infantibus perſpirationem non æque vigere, facit, unde capita infantum ulceroſa, auresque pure manantes derivandæ; morbi omnino, qui, a natura procul dubio excitati ad perſpirationis defectum ſupplendum, facile ſanantur, ubi crura justum robur & ad ingresſum aptitudinem adepta ſunt; morbi, qui & in iis infantibus, quibus humores nimium abundant, necesſarii, dum, etiam arte excitati, corporis vigorem conſervant. Neque tamen differre opportet Inſitionem, usque dum fibræ rigidiores evaſerunt, ſolidioribusque jam utuntur pueri alimentis, quæ variolas maligniores reddere posſunt.

§. XLIV. Vigor habitusque corporeus eorum, quibus pus varioloſum inſerere volumus, adtentionem nostram ſibi proxime vindicant, quo accuratius, quale regimen, qualis præparatio con-

conveniat, ſtatuere posſimus. Sunt, inter quos SUTTONIUS est, qui, unum præparationis modum omnibus convenire, putant; quique igitur cibum eundem, eadem medicamenta, juveni valido ſenique debili dari jubent; lactantibus, chloroticis, gravidis, & agricolis robustisſimis, absque ullo discrimine, eandem ſtatuunt præparationem. A ratione tam temeraria conſuetudo & experientia ex æquo abhorrent. Hæc qui faciunt, adverſarios armis, quibus utilitatem inſitionis oppugnent, inſtruunt; & multum noxæ multumque periculi ægrotantibus inferre posſunt.

§. XLV. Artifices nihilominus hujuscemodi temerarios multa, quæ medicum prudentiorem magisque cautum, per longum decurſum annorum, latuisſent, caſu reperisſe, fatendum est. Quisnam etenim, medica ſcientia vel modice imbutus,

febri concitatissima laborantes lecto depellere, sub dio versari cogere, cathartica drastica, quibus numerus pustularum imminueretur, dare, non tantum ab omni rite curandi via, sed ab ipsa sana ratione, quam longissime deflectere, pronunciasset? Hodie tamen hominum audacissimorum, qui paradoxa hujuscemodi, summa cum utilitate, perpetuoque successu, in medium protulerunt, vestigiis insistere medicum peritissimum minime dedecet.

Permulti quidem indoctissimi nostra ætate Variolas inseruerunt; at ingenui literarum scientiarumque Fautores non idcirco præcepta utilia, quod ab origine proficiscuntur ignobili, contemnunt; verum e contra ea, quæ ab Auctoribus doctrina omni destitutis reperta sunt, fideli & assidua observatione in melius mutare, eorum dubia explicare, &, quæ videri pos-

ſent periculoſiora, tutiora efficere, conantur.

§. XLVI. Ubi autem tempeſtas anni, aetas, & habitus corporeus ægrotantis; ad Inſitionem conveniunt, ratio pure Varioloſo inficiendi, quam paucis expoſiturus ſum, fere ſemper feliciſſime ceſſit.

Patienti, per hebdomadæ ſpatium, carnes, juſcula, butyrum, caſeus, aromata, vinoſi liquores, omnia ſpirituoſa & fermentata fortiora, omnino interdicantur. Diæta e lacte, fructibus, oleribus, conſtet. Aqua pura, vel talis, in qua panis toſtus fuit madefactus, vel cui ſuccus Limonum admiſtus, vel quæ alio quovis modo acidula reddita eſt, vel etiam cereviſia tenuior, potui detur. Quin etiam infecto, ut exercitatione modica, ſub dio, quotidie utatur, ſuadendum eſt; illis diebus ſolis exceptis, quibus cathartica ſumuntur.

§. XLVII.

§. XLVII. Ter ſingulis hebdomadibus, ſub hora ſomni, propinandum est medicamentum, quod corpus ad Inſitionem præparat; E. G. pulvis, e Mercurio dulci & Tartaro emetico vel Sulphure Antimoniali præcipitato, compoſitus: Alvusque, mane ſequente, Sale Carthartico Glauberi purganda. Infantibus, qui ſales Glauberi ſolutos reſpuunt, quantitas medicamenti ſupra memorati parvula, cum tanto pulveris Jalapii, quantum ſufficiet, & pauxillo Nitri, omnino conveniet. Medicamenta hæc, quum primum ſumuntur, vomitionem movere, & per eam non parum materiæ bilioſæ foras expellere, conſueverunt. Alvum, ad minimum, ſexies ſolvas, & doſin, cum iteratur, viribus & conditioni ægrotantis accommodes, neceſſe est.

§. XLVIII. Tali ratione debite præparato

ægro,

ægro, ad materiem variolosam inserendam, tutissima ac facillima methodus est, qua lanceola vel acu leve infligatur vulnusculum infra musculum Deltoidem, eo in loco, ubi fonticuli plerumque instituuntur, cui porro applicetur filum vel gossypium pure Varioloso imbutum. Antequam autem hoc apponatur, e vulnusculo sanguis erumpens abluatur, quod ubi oblitum fuerit, novimus, irritam fuisse Insitionem. Aluta tegatur vulnus dein, & ligamine firmetur; postridie, loco inspecto, non e re fuerit, novam applicare materiem, quo certius morbus inducatur: sæpe absque noxa hoc factum vidi.

§. XLIX. Postquam materiæ Variolosæ applicatio rite fuerit instituta, ipsius puncturæ habitus modum ostendet, quo tractari debent ægri, donec febris apparuerit. Si bis de die

alvum deponat; si die tertio pulicis morsum æmuletur punctura; si quinto sextove pruritum excitet, &, vesiculæ instar parvæ, inflata sit; si octavo denique dolores partem vulneratam cubitumque invadant, & circulus roseus, puncturam cingens, appareat; ac tandem, si pustulæ exiguæ vesiculam circumdent; spes affulget maxima, rem feliciter peractam iri.

§. L. Medicamentis vero locus non datur, priusquam symptomata, febri eruptionem comitanti propria, appareant; quo tempore pulvere supra memorato utendum. Postero dein die sumat æger catharticum, sæpius repetendum; si symptomata vehementer sæviant, remedium sine Mercurio præparetur, tunc enim aëri frigido liberius ægrum exponere licet, cui agendi modo recentiorum felicior praxis magna ex parte debetur. Minime autem Tartarus

eme-

emeticus omittatur, ut pote qui virtutem maxime febrifugam habet. Ubi interim horror, horripilatio, capitis dolor, aliaque ſymptomata febrilia, ingruunt, æger motum magis quidem averſabitur, decubitumque in lecto deſiderabit; ſed nequaquam hoc ſinat Medicus: abſolute enim necesſarium est, ut in aperto liberoque deambulat aëre, aut ſaltem ita ponatur, ut undique puro continuoque renovato aëre circumdetur, qui, brevi admodum tempore, ita reficiet ægrum, ut ambulare poterit, & ſymptomatum levamen obtinuerit. Quamprimum iterum vero illum cubiculum tenet, ſymptomatibus, ut antea, febrilibus tentabitur. Optimum ei potum ſuppeditat aqua fontana frigida; &, quo frigidior aëris in ejus cubiculo, nocturno tempore, ſit temperies, eo certior morbi eventus.

§. LI. Brevi interjecto tempore, erumpunt

pustulæ, ac circulus, incisionem ambiens, pallescit, febris vehementia decrescit, & anxietas ægri ipsiusque Inoculatoris cessat. Prudens tamen Medicus non omnem deponet curam & adtentionem, sed idem, pro aliquo tempore, regimen mandabit.

§. LII. Atque hic vulgaris est Inoculationis decursus. In multis tamen levior obtinet; quum nonnulli tam parum afficiantur, ut dificile determines, an Variolarum Insitio ullum habuerit effectum, nec ne? & an non inflammatio circa incisuram omnibus symptomatibus causam dederit?

§. LIII. Hæc Insitionis prospere inchoatæ historia; & præcepta, supra data, delectum tempestatis, ætatum, & temperamentorum, ante omnia alia, rite habitum fuisse, significant.

§. LIV. Tempus anni, corporeum habitum

tum inficiendorum, & ætatem eligendi copia nobis non semper datur. Omnia enim hujuscemodi, morbo naturali grassante, Medicos prudentissimos non raro negligere cogunt vicina funera, metusque mortis exinde oriundus. Rebus ita se habentibus, ne prius casu, quam arte, inficiantur, quam maxime cavendum est. Ii, quibus pus variolosum inserere statuimus, ab aëre contagioso quamprimum removendi, spatiumque præparationis in tres hebdomadas producendum; ut, si forte morbo nativo infecti fuerint, signa contagionis acceptæ prius, quam ad Insitionem decurratur, certa sese prodant, & tum artifex, tum ars ipsa salutifera, adversus convicia illiberalia, tuti sint.

§. LV. Quod si quis infantem, ubere adhuc utentem, inoculare vellet, imprimis cavere

debet, ut magnam, quæ ad acorem in primis viis datur, proclivitatem corrigat; quem in finem præſcribere convenit nonnihil Magneſiæ calcinatæ, vel Mannæ parum, ut occaſio exigit: ad hæc etiam ad ipſius nutricis diætam, &c. debite adtendi debet. Convulſiones, periculoſisſimum in Inoculatione infantum ſymptoma, præcaventur appoſitis hirudinibus, ſi plethora adſit; ſervando alvum apertam; aërique frigidiuſculo infantem exponendo, quod ultimum frequenter ſuffeciſſe, conſtat, ideoque, præ cæteris, inprimis tentandum.

§. LVI. Mulieribus delicatioribus, quibus ſyſtema nervoſum irritabilius, laxantia ſolum exhibenda, quibus omnibus Cremor Tartari, Manna, Tartaruſque ſolubilis palmam præripiunt. Omnibus quoque, irritabilitate nimia laborantibus, Opium, Tartaro emetico admiſtum,

&

& hora vespertina exhibitum, multoties profuisse omnino affirmatur. Convenit etiam debilioribus Cortex Peruvianus, cujus ope saluberrima Inoculatio redditur facilior, ac majores erumpunt pustulæ, quæ pure præstantissimo intumescunt.

§. LVII. Forsitan non tam leniter tractandæ puellæ chloroticæ: medicamentis vero fortioribus, ut Antimonium, & Mercurius, utendum, suadeo. Hæ enim ad pustulas crystallini generis prædispositæ, quæ dicta præparatione averti possunt. Earum etiam haud raro debilis temperies in meliorem mutata, ubi Variolis, per Insitionem communicatis, laboraverant.

§. LVIII. Sunt, qui existimant, tanta gaudere virtute Viri Variolosi Insitionem, ut præparantia quidem omnino nihili habeant, imo, ceu inutilia, rejiciant, &, remedia, supra memo-

morata, tantum insertionis & eruptionis tempore exhibenda, putent. Urgente autem undequaque contagio, prudentis est Medici, eum, qui exspectat morbum, præparare: ita enim videre licet, an æger naturali via fuerit infectus; ita etiam omnem morbosam prædispositionem præcavere valemus.

§. LIX. Miris equidem pollent effectibus, in hoc Variolarum stadio, cathartica: actionem enim contagii accelerant, eorumque usu minor fit pustularum numerus, quo nihil optabilius; numeri etenim rationem sequitur periculum. Verum enimvero rationi, quam experientiæ, non minus consentaneum remedium hocce novum videtur: nam, quis est, qui negat, cutem inter & intestina consensum quemdam existere, & fluida, intestina versus stimulata, minore cum impetu exteriora petitura. Quoniam igitur absque

que periculo, & etiam, ni totus fallar, cum utilitate, præparatoria dantur, horum neglectus Medico vitio verteretur.

§. LX. Minime apud Medicos conventum est, an quidem a Materiæ Variolosæ delectu operationis successus pendeat. Alii, tam ex insitis, quam naturalibus pustulis variolosis, absque ullo discrimine, Materiem Variolosam petunt; alii ex naturalibus solis; & vice versa. Hi ex crudis, illi iterum ex maturioribus illam desumunt. Juvenis interim non est, tantas derimere lites. Narrat hac de re Scriptor celeberrimus, se casum novisse, ubi decem, sexu & ætate differentibus, Variolæ fuerunt insitæ veneno, pustulis confluentibus, imo postea lethalibus, extracto, & omnia tamen ad votum cessisse. Exinde mihi, veritatem investiganti, apparet, a corporis statu potius, quam puris ge-

nere, morbi violentiam originem ducere. Praxi vero ſanæ abſint hujuſcemodi experimenta: materiam optimam quærendam, ſuadet Cognatorum anxietas, ſuadet Medici fama.

§. LXI. Dicunt, nec rationi abſonum crederem, quod, quo fluidius pus est, eo etiam efficacius ſit, ad excitandas Variolas: tale enim faciliorem, æque ac celeriorem, tranſitum ſibi in ſanguinem, in vaſa tenerrima, parat, Multis autem & variis ſæpe circumſtantiis huic methodo obſtantibus, ad alteram confugiamus, necesſe est: ac tali in caſu lanceolæ apex, ſæpe pustulæ immerſus, inter ſingulas vero immerſiones iterum ſiccatus, nec non gosſypii filum, pure imbutum, vix, ac ne vix quidem, ſpes nostras fefellerunt. Priusquam autem ſub cuticula inferatur talis lanceola infecta, aquæ ferventis vapore humectari debet,

ut virus eliciatur, ac aliquam acquirat fluiditatem; hæc quoad priorem methodum: alterius de usu antea quædam memoravi.

§. LXII. Instituta Variolarum insitione, si inflammationem leviorem excitat contagium, si lento progreditur gradu, si eruptionis symptomata, per aliquot dies, dubia sunt, morbum severiorem summo jure expectamus: tunc igitur temporis remediis, jam memoratis, pulveribus nempe & catharticis, ut postulat res & occasio, summopere nitendum. Vulnusculo non adhuc inflammato, rarissime corripit febris, si vero hoc accidat, morbum violentiorem instare, & Medicamenta necessaria esse, plane indicat.

§. LXIII. Ut variant omnes ferme morbi, ita & Variolæ, & symptomatum morbi variolosi differentia ad curationem semitas tam contrarias monstrant, ut, indicationes quasdam

proferre generales difficile invenio. Singulariter certe, ad variolas leniendas, levia antiseptica, aër siccus imo frigidus, & acida præsertim vegetabilia conveniunt. His neglectis, nihil Medici auxilium, nihil remediorum usus valere possunt; ipsa vero morte, vel ad eam trahente affectione diuturna, ægri fatum terminatur. Vigens autem morbus, nisi gradu nullomodo discrepat a naturali, cujus medendi methodus a proposita aliena videtur, hic Medici omnino prudentiæ & sagacitati relinquendus. Generalem enim Methodum omnibus casibus aptam præscribere, impossibile est.

LXIV. Hæc igitur sunt, quæ de Variolarum Insitione dicenda habui. Fateor multa, imo plurima superesse, quæ pro laurea Medica disputanti, nec dissertationis limites, nec ingenii vires, quas sentio, quam sint in me

exi-

exiguæ, exponere permittunt. Juveniles hosce conatus, quas, non ſcribendi furor, ſed ſancta Academiæ Lugduno-Batavæ lex examini publico ſubjicit, L. B. ut æqui bonique conſulat, enixe rogo.

F I N I S.



THESES.

I.

Nimia perſpiratio corpus debilitat.

II.

Mentis exercitationes ſuo exceſſu longe magis ſanitatem infirmant, quam corporis.

III.

In febribus doſes emeticorum nauſeantes plus præſtant, quam evacuantes.

IV.

Virtus opii ſtimulans ac ſedativa a varia ejus doſi pendet.

V.

Nulla in nobis pars est, cui, certo gradu, non inſit vis vitalis.

VI.

Nulli utique affectus in corpore oriuntur, qui ab ideis originem non ducunt.

VII.

Optimum ſanitatis indicium est grata vitæ ſenſatio, per univerſum corpus diffuſa.